



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 4. Qualem cognitionem possit Justus habere in via de sua Gratia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

tum malorum Angelorum, primorum parentum compertum est, tum, quia justus, cum sit liber, ad observanda præcepta, potest ea transgredi, & lethaler peccare; sed per lethale amittitur gratia; ergo &c.

210. Suppono 2. ita posse gratiam amitti, ut non amplius recipiatur; ratio est, quia ita definit Tridentinum cit. & constat ex pluribus testimoniis Scripturarum, & PP. in quibus iusti exhortantur, ut cum tremore, & timore operentur; ne reprobj fiant, quod & Paulus satis indicat, dicens: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne, cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar;* atqui reprobum fieri, est decedere, quin obrineatur gratia deperdita; ergo &c. Quæ contra hanc veritatem Hæretici objiciunt, facile solvuntur. Vide Arriag. disp. 5. sect. 6.

SECTIO IV.

Qualem cognitionem possit justus habere in via de sua gratia?

211. **N**on quæritur de præsentî, an possit aliquis habere cognitionem naturalem, certam, & evidentem de gratia habituali: cognitio enim certa, & evidens de gratia habituali cum ea convertitur; at non spectat ad hunc Tractatum de Ente superno, quærere, an cognitio naturalis possit converti cum ente superno? solumque quæritur, quanta certitudine possit quis esse certus de sua gratia, & justificatione citra divinam revelationem? dico citra divinam revelationem; nam aliquos Sanctos certos fuisse certitudine fidei de sua gratia, & justificatione, nec non de sua prædestinatione ex singulari privilegio Dei illis hoc revelantis, ut certum supponimus.

Singularis fuit in proposita controversia Catherinus Opusc. de certit. gratiæ, docuit enim posse justum certum esse certitudine fidei de sua gratia & justificatione: Hæc opinio convenit cum errore hæreticorum, in eo quod admittat certitudinem fidei de nostra justificatione; distinguitur autem ab illo, quia Catherin. negat hanc fidem necessariam esse vel sufficientem ad justificationem, tum etiam quia hæretici dicunt fidem de propria justificatione, immediatè inniti divinæ revelationi; Catharin. verò negat eam immediatè inniti in divina revelatione, sed tantum mediatè, quatenus inferitur ex una propositione fidei, & alia naturaliter evidenti. Istam Catharini opinionem esse non solum temerariam, sed & errori proximam docet Montefinos hic disp. 32. quæst. 5. §. 5. eamque à pluribus censeri erroneam testatur Arriaga disp. 34. n. 15.

212. Rejiciunt & merito omnes Theologi hanc opinionem ex Script. Job. 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea.* Prov. 2. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus*

sum à peccato. Eccles. 9. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & nemo nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta.* 1. Cor. 4. *Nihil mihi quidem conscius, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est, itaque nolite ante tempus judicare.* In quibus & pluribus alijs Scripturæ locis clarissimè docetur, neminem quantumvis sanctum posse esse certum de sua justificatione. Videatur Bellarmius lib. 3. de justitia, & Bontenigus hic disp. 2. quæst. 7. ubi innuntur quamplurima PP. testimonia, ex quibus manifestè reprobatur opinio Catherini.

Rejiciunt 2. Auctoritate Tridentini sess. 6. c. 9. dicentis. Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi meritis, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum; neque ad rem est quod Catherin. dicit, Concilium loqui de fide universali ac Catholica; Concilium enim negat generaliter & absolute haberi posse de propria justificatione certitudinem fidei, cui falsum subesse non potest, sed non solum fidei universali sed etiam particulari falsum subesse non potest; ergo non solum excludit fidem universalem, sed etiam particularem.

Rejiciunt 3. ex doctrina Universitatis Lovanienf. & Parisienf. quibus apud cit. Bellarm. doctrina Catherini reprobatur, tum etiam ex verbis Innoc. III. temeritatis notâ inuentis Episcopum Dinantinum jurantem se immunem esse à quibusdam criminibus, quæ patrataverat, quia jam per gratiam erant ipsi dimissa. En Pontificis verba præsumimus, quod volebat sub ea forma jurare, videlicet quod immunis erat ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per penitentiam, jam esset immunis ab illis; sed hoc jurare non parvæ temeritatis argueret, cum textus Job dicat: *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea:* modo sic. Ideo Pontifex centura temeritatis inurit jurantem se immunem esse à crimine commisso, quia de hoc nemo potest habere certitudinem; ergo &c.

Rejiciunt 4. Destruendo Catherini fundamentum in hunc modum. Si potest aliquis esse certus certitudine fidei de propria justificatione maximè, quia habere potest unam cognitionem fidei Catholicæ, quæ credat Deum justificare verè penitentes, & aliam cognitionem evidentem, quæ cognoscat certò veram se egisse penitentiam; ex quibus inferitur certitia cognitio certa de propria justificatione medio discursu nixo in divina revelatione; sed nemo potest evidenter cognoscere se veram egisse penitentiam; ergo neque potest esse cer-

tus de propria justificatione. maj. est fundamentum Catherini; min. prob. quia actus, quibus justificamur, sunt supernaturales, sed non possumus certitudine naturali evidenter cognoscere actus supernaturales; ergo &c. Confirm. 1. Auctoritate Scripturæ supra cit. in quibus universaliter excluditur quævis absoluta certitudo de propria justificatione; ergo &c. 2. quia, si quis id certè & evidenter cognosceret, posset id absque ulla temeritatis nota jurare contra definitionem Innocent. cit. ergo &c. Ex dictis

217. Fit, quòd juxta aliquorum principia docentium, una præmissa fidei, & altera probabili inferri posse conclusionem supernaturalem Theologicam; ac proinde certam in se, non tamen inferri certam quoad nos. Quapropter, licet fortè posset elici conclusio in se certa de propria justificatione ex una præmissa fidei, & altera probabili, cum tamen illa non esset certa quoad nos, semper deberemus esse cum timore, & tremore de nostra salute; supposito ergo, quòd non possit dari quoad nos neque certitudo Theologica de nostra salute: quærimus infra certitudinem fidei, & Theologicæ, quàm certa possit esse alicui propria justificatio?

218. Sotus in Apologia contra Catherinum docet, posse justum tanta certitudine judicare, se esse in gratia, quantà judicat dari Romam; citari solet etiam pro hac sententia Vega lib. 9. cap. 46. Cæterùm, ut bene notavit Amicus, Vega solum dicit posse justos aliquos absque actuali hæsitatione judicare, se consecuturos esse gratiam, & remissionem, peccatorum; qui modus dicendi potest aliquem verum sensum habere, ut infra constabit; rejiciunt, & merito, omnes Theologi hanc Soti opinionem, quia tanta est existentia Romæ, ut nullus sit dubitandi locus: tot enim testimonia digna fide per tot sæcula, voce & scripto existentiam Romæ attestantia, talem pariunt certitudinem, ut plures merito appellent eam quasi physicam, cum sit quasi physicè impossibile, tot homines in unum aliquod conspirasse mendacium, quin esset, qui contradiceret, & veritatem revelaret; sed simile fundamentum non datur respectu nostræ justificationis, de qua quivis prudenter timere potest, si attendat ad propriam infirmitatem, & indispositionem; ut ait Tridentinum, partim cum illa pendeat ab actibus nostris supernaturalibus nobis occultis; ergo non potest quis judicare se esse justificatum tanta certitudine, quanta judicat Romam existere.

219. Inferitur ex dictis, quòd si quis attendat ad propriam infirmitatem, & indispositionem posse prudenter timere; & formidare, de propria justificatione, ut expressè definit Tridentinũ, ac proinde non habere certitudinem talem timorem certitudinem excludendi. Inferitur 2. Contingere posse, aliquem judicare se esse justificatum, quin habeat actualem timorem,

R. P. Germaz Theolog. Tom. 1.

vel formidinem, si non attendat ad propriam infirmitatem, & indispositionem, ex qua attentione sequitur timor, & formido; cogitare autem absque ea attentione contingere potest, vel ex inadvertentia, oblivione propriæ infirmitatis, & indispositionis, vel ex vero, quòd per Dei auxilium, & speciale privilegium ita repleatur quis charitate, ut tollatur omnis formido, & hæsitatio; ut contingit in aliquibus Sanctis; qui de sua gratia non erant anxij, & solliciti, sed habebant magnam tranquillitatem, juxta illud Joannis 1. a. *Timor non est in charitate; si est perfecta, charitas foras mittit timorem.*

Inferitur 3. Quid sentiendum sit de Vega opinione: si enim contendat, posse dari talem cognitionem certam de propria justificatione, & salute, ut non possit cum ea componi timor, & formido, incidit in sententiam Soti; ac proinde eodem modo est rejiciendus; si autem solum velit, dari in aliquibus justis cognitionem de justificatione propria; cum qua, licet possit esse timor, vel formido, de facto tamen per accidens non est, verum dicit. Inferitur 4. Quomodo sint intelligenda aliqua Scripturæ, & PP. testimonia, in quibus judicari videtur, posse nos habere securitatem de propria justificatione, illa enim intelligenda sunt de cognitione, quam per accidens non comitatur timor, vel formido, non verò de cognitione essentialiter excludente formidinem, & timorem.

Quærit hic aliqui, quantam certitudinem possit quis habere de sua fide, Bonavent. & alij, quos citat, & sequitur Bontempus hic disp. 2. quæst. 18. admittunt, posse haberi certitudinem Theologicam de propria fide. Communis Theologorum sententia negat; Ego autem judico, consequenter ad dicta n. 217. certitudinem quoad nos supernam, & Theologicam haberi non posse, cum nos discurrere non possimus, quinam actus sint naturales, & quinam superni ex his, quos elicimus. deinde neque naturalem, cum nullum sit motivum quoad nos, ex quo evidenter naturaliter cognoscimus nos esse in gratia; ergo quoad nos modò, quo exagitur à Theologis controversia, neque dari potest certitudo superna Theologica, neque certitudo naturalis, qua sciamus, nos esse in gratia; quænam autem certitudo in se dare possit, decidendum est.

SECTION IV.

De perseverantia, & confirmatione Justorum.

222. Perseverantia latè sumpta significat quamcunque gratiæ denominationem, in quo statu reprobj etiam inveniri possunt perseverantes in gratia, cum per aliquod tempus habeant gratiam. Perseverantia verò strictè sumpta

RIT

pra